



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Leo & Mus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

facris, parcere intacto gregi. Unum hospiti illi vitium hoc quidem fuit, quòd erat Molossus ille famelicus nimis, nec adedò modicis alebatur sumptibus. Dum rem molestam queritur atque incommodam apud amicos Pastor; quid tu, inquirunt, avidum helluonem detines frustra domi? Hunc trade pagi domino; iste commodius, quod facere nequeas, sumptus graviores feret. Tibi interim unus poterit atque alter canis, præstare eadem levibus impensis vices. Probatur homini parco consilium futile. Vetus fugatur hospes; nec Lupis diù res latuit: longo qui satellitis impigri metu soluti, subeunt desertam domum, & facili potiuntur dape.

EPIMYTHION.

*Servum nactus probum ac fidelem, levibus
ne offendâre maculis.*

LEO & MUS.

PROMYTHION.

*Æquum sapit ille, qui despicit neminem;
sæpè majores indigent tenuioribus.*

MUs in Leonem cùm incidisset temerè, periculum sensit quod adierat. Ergo vitæ metuens, quando, nullus est fugæ locus, cœpit instare precibus, si fors Leonem vinceret. Nam quid egi infelix, inquit? Parce, Regnantum optime,

optime, & errorem excusa meum. Non fuit hæc tanta misero fiducia, tuum ut inturbarem otium. Tamen si peccasse videor imprudentia, ultio de me quid habet, tanto regi quod placeat. Audiit patiens Leo Muris querelas, & misertus ultrò vitam annuit. Paucis post diebus Venatorum in retia Leo dilabatur, nec, quo se pacto laqueis expediat, invenit. Frustra se partes in omnes versat, & incondito gemitu cuncta læta personat loca. Nemo est, qui laboranti ferat opem, aut pereuntis moveatur malo. Mus è propinquo strepitum hausit cavo, & quò Leonis res vocant, accelerat gradum muneris impensæ memor. At quid tantulus juvet, ubi valentior robur cessit irritum. Tamen instat operi Mus acriter, nec inanis cecidit labor. Maculas scilicet alias post alias dum rodit, sic infregit reticulum vinculum Leonem ut solveret.

EPIMYTHION.

Qui beneficium collocat, operam non perdit suam.

LEO AD EXPEDITIONEM Bellicam se comparans.

Inusitatum quiddam meditatus Leo, bellum movebat gentes in exteras. Jamque per præcones vocatæ toto ex imperio belluæ Leonis in aulam venerant, rem consilio & manu ut promoverent viriliter. Nam quis improbet, quod placuit regibus, aut suam ultrò non polliceatur operam? Hic unus restabat labor, ut, quod conveniret